



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XVI. Suauis in narratione falsitas, in ratiocinatione vitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

gatis, aut etiam duobus, ubi tertius abesset vel impediretur, auctoritatem tribui illius quocumque opportunum ducerent deportandi. Ea res latitiæ pluribus fuit, quod ipsorum & promouebantur vota, & cohonestabantur sentia: nonnullis ad recipiendam animi tranquillitatem plurimum valuit, sublatis vtriusque nutantibus rationum momentis, unde incerti animi eò usque pependerant: aliis perturbationem attulit, serò intelligentibus, quam intutum sit iis armis obtegi, quibus ab alio repente nudari possint: omnibus autem admirationis non modicæ fuit, quo pacto Legati inter disputationum æstus huiusmodi clypeum validissimo aduersariorum telorum numquam opposuissent. Decretum igitur confectum est, & die postero parata profectio Bononiensis: quæ quidem vrbs in tam dubia fluctuum agitatione à quibusdam tamquam securitatis portus expetebatur, à quibusdam tamquam naufragij scopulus exhorrebatur.

C A P V T X V I

Suavis in narratione falsitas, in ratiocinatione vitia.

ANtequam progrediamur, par est hîc paululum in Suavis erratis, prauisque animaduersionibus subsistere. Quod spectat ad errores; narrat is, facultatem aliò deducendæ Synodi à Pontifice Legatis traditam, in primo cœtu nono die Martij recitam fuisse, ac postea quæ diximus diffidia subsecuta. Et tamen constat ex Actis, non nisi vndecimo in ipsa Sessione, & post dictas sententias & collecta suffragia patefactam. Inter Patres profectionem auersatos numerat Marcum Vigerium Senogallientem, & Claudium à Guishe Mirapicentem Episcopum: sed in hoc pariter ab Actis reuincitur; præterquam quòd Claudius tunc non Mirapicentis, sed Agathensis Antistes erat. Affirmat, inter eos qui translationem laudabant, nullum ex Cæsari subditis fuisse, nisi Michaëlem Sarracenum Materanum Archiepiscopum; cum tamen præterea fuerint ex Mediolanensibus Catalanus Triuultius Antistes Placentiæ, Hieronymus Vida Albæ, Ludouicus Simonetta Pisauri, Philippus Archintus Salutarum, & ex Neapolitano regno Thomas Caselius Britonorientis Episcopus, & Hieronymus Seripandus summus Augustiniana familia Moderator: quod si Cæsari subditum appellat non eum qui suorum natalium, sed possessæ Diocæsis ratione Cæsari subiectus erat, consensere ex his Antistes Miletanus, Iterniensis, Minoritanus Aliphanus, & Bellocastrensis.

a Mirapicentis fuit designatus 17. Augusti, vt ex Actis Consistorialibus.

Pars II.

L

Scri-

1547.

Scribit: Tametsi Diploma videretur obfirmatum 22. Februarij 2
 anni 1545. à multis tamen recentius creditum, & per eam occasio-
 nem missum, argumento ad id credendum desumpto à facultate
 ibi concessa; vt nempe duobus Legatis liceret rem exequi, si forte
 tertius præpediretur aut abesset, idque planè tunc accidit, nimi-
 rum absente Polo. Etenim *Videbatur*, inquit, *si Diploma die ipsi apposi-*
to fuisset signatum, quamdam vaticinij speciem id fuisse. Et paulò post,
 hoc ipsum quod obiecerat nequaquam dissoluens, adiicit, *Se nihilo-*
minus ex suis notis conficere, Diploma per eam occasionem haud confectum,
sed ante biennium; missum verò ad Legatos non statim ac signatum est, sed
solum decimo octauo mense antequam id euenerit, hoc est Augusto mense
anni 1545. Enimuerò hic homo æquè peccat differendo, ac menti-
 tur narrando. Quod spectat ad primum: Num fortè Diuino af-
 flatu erit opus, vt in mentem veniat, posse ex tribus hominibus
 vnum aut abesse, aut impediri? Cuinam compertum non est, quo-
 tidiano vsu consuli huiusmodi casibus, & in Principum iussis, &
 in priuatorum mandatis? ac insuper Suauem non animaduertisse,
 seu quicumque fuerint qui huiusmodi suspicionem inuexere,
 in Diplomate generali demandatæ legationis, eadem die quâ pari-
 ter hoc Diploma subscripto, & in secunda Sessione promulgato,
 cui tres ipsi Legati interfuere, eadem formulâ huic euento fuisse
 consultum? Quin reticere non libet: Cum subiisset cogitatio,
 fieri posse vt bini ex Legatis eodem tempore impedimento aliquo
 tenerentur, paucos intra dies aliud illis Diploma traditum, ^b à quo
 facultates omnes superioribus litteris Apostolicis contentas vni
 etiam soli conferebantur, vbi solus ille non impeditus interesset.
 Suspicio tamen, hoc postremum Diploma vnicè arcaneque concre-
 ditum fuisse Ceruino, cui Paulus maximè fidebat; nam ex pluri-
 bus epistolis conicio, ignoratum id Montano fuisse. Et sanè Di-
 ploma concessæ potestatis Synodi transferendæ simulare non po-
 tuit diem, qui verum suum natalem præcederet, cum inscribatur
 formula, *De consilio & consensu Cardinalium*: adeoque, si licuisset
 aliquibus ex Purpuratis testificari, illud in Senatu à Pontifice id
 temporis minimè propositum, Diplomatis certè fides simul & au-
 thoritas fuissent in dubium reuocatæ.

§ 6. Martij
 1545.

e In Com-
 mentariis
 mihi com-
 municati: à
 Serenissimo
 Principe E-
 rtruriz Leo-
 poldo: habe-
 turq; mentio
 in adductis
 litteris Stor-
 tiz Cardina-
 lis ad Lega-
 tos, 4. Augu-
 sti 1546. &
 in eorum re-
 sponfis,
 9. Augusti.

Rursus verum quidem est, mense Augusto venisse ad Legatos Di-
 ploma cum potestate Synodi aliò deportandæ; sed non hoc de quo
 loquimur Diploma; nec eo mense Augusto quem refert Suauis,
 nimirum anni 1545. sed Kalendis Augusti anni 1546. ^c per occa-
 sionem, quam suo loco memorauimus, quòd Patres belli formidine
 disces-

discessum meditabantur. Hoc verò Diploma tametsi eam exponeret quam diximus Concilij transferendi causam, periculum videlicet discessus ob belli metum; quamcumque tamen aliam causam generatim complectebatur, quæ idonea censeretur; sed in reliquum minus latè patebat, quàm primum illud quo vñi fuere. Cùm enim hoc posterius mississet Pontifex, non quemadmodum superius, cum exceptione, ne illo extra necessitatem & repentina discrimina vterentur, sed eâ gratiâ, vt confestim in opus illud deducerent, eas apposuit conditiones, quas ad ipsum exequendum exigebat; nimirum, vt ex Legatis duo saltem consentirent tertio deficiente, & cum ipsis maior Episcoporum numerus: nolebat siquidem Pontifex, vt eâ occasione antiquius Diploma, quod latius erat, vulgaretur. Verùm huiusmodi Diplomate, quo tempore acceptum fuit, Præsides ob allatas ibi rationes vñi non sunt: at verò in præsentia non quidem illud, sed alterum antiquius producerunt, eò quòd illud recentius videbatur conscriptum potissimè ob militare periculum, quod iam euauerat: quapropter vt omnem controuersiam amputarent, ostenderentque rationem habitam communis sententiæ, à voluntatis obsequio, non à vi necessitatis profectam, alterum magis amplum & absolutum protulere.

4 Narrationis disputationisque prauitati responderet in Suauis iudicij peruersio. Confidenter hic pronuntiat: *Illud celari non poterat, & omnibus offensioni erat, quòd ex eo Diplomate Concilij seruitus aperte conspiceretur. Etenim si Legatis licebat discessum Tridento cunctis simul Patribus imperare, eosq; paucarum censurarumq; denuntiatione compescere, dicat, quæso, inquit, quicumque sciat, aut possit, quanam erat illa libertas quæ fruebantur?* Nosse peruelim (id quod pariter aliàs distinxit) an ij quos tam vehementer offensos narrat Suauis, nomine libertatis intellexerint supremum dominatum nulli prorsus obnoxium, quo pacto polyarchia quædam appellatur libera; an potius electionem nullà vi coactam, nec vllò impedimento coercitam, quâ ratione priuatorum ciuium acta libera nuncupantur. Si supremum dominatum intellexerit, nã istis expectandum non fuerat hoc tempus, vt in eam offensionem inciderent. Nonne passim constabat, haberi Romæ pro errore, communiq; Theologorum ac Iuris Canonici peritorum sententiâ damnari opinionem, affirmantium Concilium Romano Pontifici haud subiacere, non posse ab illo conuocari, transferri, ac dissolui pro sua prudentia, vt qui nullum in eo iudicem præter Deum agnoscit? De hac autem absoluta iurisdictione Pontificis, tamquam Ecclesiæ gubernandæ necessariâ, sæpius

1547. pius abundè differimus. Neque Concilij Patres id in controuersiam adduxerunt, nec sibi arrogarunt, aut petierunt huiusmodi schismaticam libertatem: quin Hispani, qui audentiores videbantur, sapius contestati sunt, se vitam profusuros ad tuendam supremam Sedis Apostolicæ auctoritatem: quòd si quando res gestas improbarent, numquam potestatem denegarunt. Profectò nisi hæc Patribus infidisset existimatio, cum Pontifex neque militarem neque ciuilem potestatem Tridenti obtineret, potuissent impunè repugnare, & quodcumque Diplomatis aut centuræ vinculum à non legitimo Præsidente iniectum, impar illis continendis fuisset. Concessâ igitur hac Pontifici supra Concilium potestate, ac proinde nec cuiquam inferatur offensio, nec debita Synodo libertas lædatur, quòd cum ipse præsens adest, eidem liceat illud cogere, vt aliò se conferat; haud pariter credendum erit offensioni obnoxium, nec libertati, quâ Concilia frui debent, oppositum, si quando Pontifex ipse non adest, sed suo loco Legatos subrogat, hanc vnâ cum reliquis facultatem illis tribuat, vt pote repentinis calibus necessariam. Quemadmodum recta gubernandi ratio postulat, vt Rex quilibet amplissimam facultatem suis Proregibus impertiat, & quilibet Princeps suis ministris, quos ex plenâ potestate *Plenipotentiarios* vocant, citra vllam per hoc subditorum offensionem, vnde seruitutem suam quodammodò conuerantur. Quòd si nomine libertatis istius sonat, quòd secundo loco posuimus, ei scilicet, qui Principi subiectus est, eiusque imperio cogi potest, reipsâ ex Principis permisso licere pro sua libera electione agere; tam absurdè affirmatur ex eo, tamquam ex violatione libertatis, posse quemquam offendi, vt ibi potius conspicua & illibata libertas appareat. Præsides cum in membranis tam amplam auctoritatem obtinerent, tam coarctatam in communi charta obtinebant, vt inter tot externi belli discrimina, tot intestina dissidia, tot grauissima Ecclesiæ pericula, numquam ipsis licuerit eâ uti, nisi frequentioris partis suffragia consentissent: quòd reuerà significabat, auctoritatem obtineri ad obtemperandum, non ad imperandum Concilio. Atque iisdem inter extremæ necessitatis angustias ne liceret quidem eam in medium proferre ad hoc emolumentum consequendum, ne videlicet dum potestas lateret, voluntas langueretur: sed oportuit, vt quid Patres sentirent, prius operirentur: post quorum sententiam promulgatio sibi traditæ potestatis non valuit ad ostendendam seruilem Synodi conditionem, quin valuit ad non seruilem: simulque demonstrauit, id à Pontifice concedi, quòd ex oppugnatorum sententiâ statuere Synodo non licebat

cebat Pontificis iniussu, ne inde paucorum repugnantia plerosque aduersus quàm & sentirent & vellent, in pestilentia carnificina constringeret. Si omnes qui imperant, potestate quàm subditis imperant, per æquitatem circumspectionemque vrentur, nihil sanè dubitandum esset, quin regium imperium, quod suapte naturam ut filios, non ut mancipia subditos habet, liberorum regimen foret, quàm planè voce filios in familiis Latini præseruis appellant. Tunc Reipublicæ administratio optima est, cum in eo qui præest, auctoritas coërendi maxima, ipsius vsus minimus est.

C A P V T X V I I

Legatorum, multorumque Patrum Bononiam accessus. Aula Romana, ac Pontificis de translatione iudicium. Animaduersiones & consilia à Legatis scripta.

T Tridento Legati discessere die duodecimam Martij, S. Gregorio sacrâ, quàm planè biennium^a ab eorum aduentu explebatur. Bononiam aduenere tardiùs citiùsve quotquot sententiâ conuenerant: ac Tridenti pariter subistere, qui ut substeretur auctores fuerant, præter Fæsulanium; ^b qui causatus apud Montanum inopiam itineri imparem, tacitè se comitem ipsis obtulit. Verùm asperius vehementiusque quàm par erat hominem Legatus excepit, eum acturum consultius, si Bononiam pergeret, priorem contumaciam purgaturus: quo ille perterritus, aliquamdiu cum Cæsarianis ibi substitit, ut aliquo patrocinio niteretur: interim à Polo ac Rodulfo Cardinalibus amicis ope imploratâ, effectum per eos est, ut ^c datis humaniter litteris, à Farnesio Bononiam inuitaretur, quibus ille confirmatus eò perrexit.

^a Aduenere Tridentum 13. Martij 1545. ex Diario.
^b Colligitur ex Epist. ad Ceruinum, ab eius ministro Roma: 26. Martij 1547.

^c 26. Iulij, ex Diario.

2 Agathensis ac Portuensis ut medium in dicenda sententia, perinde in reipsâ tenuerunt. Alter, qui statim Rege nominante Agathensem Ecclesiam in Mirapicensem commutauit, Tridento abiit, nec Bononiam petiit, sed Ferrariam, mandata præstolaturus eiusdem Regis: quo per eos dies vitâ functo, eiusque secundo filio Henrico, qui Patri successerat, harum rerum nondum conscio, Episcopus non ante mensem Septembrem vnâ cum Gallicis Oratoribus adire Bononiam iussus est. Eodem tempore ^d Portuensis accessit, qui initio precibus Hispanorum victus Tridenti permanerat; sed mox duobus è familia sua Tridentino morbo correptis, & ex his altero intra triiduum sublato, fugam potiùs arripuit, quàm discessit: ita consilium, de quo verbo dubitauerat, factò comprobauit.

^d Ex Apologia Episcopi Feltriensis pro translatione, quæ extat in Volum. Actuum in Arce Romana, signato lit. A. in fine.